

— *Item* : Melancholia? mania? — Alii Phosphorum adhibent ad acidum phosphoricum parandum.

DOSIS : Grana quatuor in oleo amygdalarum, vel pro re nata, in ætheris sulfurici uncia dimidia solvuntur. Hujus solutionis guttæ viginti cum haustu aquæ dantur bis terve de die; vel omni bihorio si morbus urgeat.

RESINARUM PURIFICATIO.

Resinæ vel substantiæ resinosæ variæ, vulgo venales, impuræ, probe siccatae, in frustula concisa vel in pulverem contusæ alcohole repetitis vicibus superaffuso digerantur, saepius agitando, per biduum aut triduum. Liquores commixti et filtrati misceantur cum aqua, et alcohol leni igne ex alembico balneo aquæ destilletur. Resina cum aqua remanens, repetitis vicibus aqua fervida probe lota, dein siccata usui servetur. Exemplo serviat:

RESINA JALAPPÆ.

R. Radicum convolvulus - jalappæ pulv.
quantum placet.

Alcoholis sextuplum.

Misce; digere leni calore per biduum; dein cola et adde pulveri novam portionem alcoholis; digere denuo per viginti quatuor horas; dein cola exprimendo. Ex tincturis commixtis, addita aquæ destillatæ parte quarta, in balneo aquæ destillando eliciatur alcohol. Resinam in retorta remanentem, effusa aqua, ablue aqua fervida, et leni calore siccata usui serva.

GUMMI RESINARUM PURIFICATIO.

Gummi-resinæ, vulgo venales, impuræ gelu vel leni calore probe siccatae, in pulvrem terantur, et ab adhærentibus quisquiliis ope cribri setacei separentur. Sic purificatur

Gummi-resina ammon.

— Myrrha.

— Sagapenum.

— Galbanum.

— Assa foetida.

OPII PURIFICATIO.

R. Gummi - resinæ papaveris somniferi,

vulgo *opium* dicti, impuri in frustula concisi, libram unam.

Alcoholis diluti libras duodecim.

Digere leni calore, subinde agitando, donec solvatur opium; dein per chartam cola, et leni igne in balneo aquæ destilla ad spissitudinem massæ pilularis, vel si placet ad siccitatem, ut in pulverem teri possit.

CAMPHORA ejusque PRÆPARATA.

CAMPHORA PURIFICATA.

¶. Camphoræ vulgo venalis impuræ quantum placet.

Alcoholis quantum opus,

Ut solvatur. Alcohol sic camphora saturatum cola, et liquori colato adde

Aquæ destillatæ quantum opus,

Ut camphora omnis præcipitetur; dein effunde liquorem, et camphoram leni igni exponere ut siccetur et in massam coëat. Si partibus colorantibus adhuc inquinatam iisdem